

1
6
516







# LUEM VENEREAM
## NON ESSE MORBUM NOVUM,
# ORATIO
HABITA IN ARCHI-LYCEO PATAVINO,

*DIE V. NOVEMBRIS, M. DC. LXXXVII.*

## À CAROLO PATINO,
EQUITE D. MARCI, DOCT. MEDICO PARIS.

*PRIMARIO PRACTICAE EXTR. PROFESSORE.*




PATAVII, M. DC. LXXXVII.
Ex Typographia Seminarii.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS. D. D.

# JOANNI BAPTISTÆ DONATO,

## SENATORI AMPLISSIMO CAROLUS PATINUS.

CLarorum virorum non minùs otii quàm negotii rationem exstare oportere *præcepit Cato*, *ne quid ab eorum seriis ludicrisque operibus*, *publicæ rei decederet*. *Heroicam sapientissimi viri cogitationem tam solerti sedulitate imitantur plerique Proceres Veneti*, *ut ipsi tot Catones & sint & videantur*. *Unum Te inter primarios suspicio*, *Illustrissime & Excellentissime D. qui sive ad Orientis Imperatorem Legatus*, *sive magnus Consilii Sapiens*, *Venetæ Majestatis imperia dirigas*, *sive minoribus officiis Te permittas*, *otii semper ac negotii præclarum ubique præbes monumentum*. *Principes Magnatesque*, *quod nihil agant aut nil agere possint*, *felices esse*, *soli opinentur stolidi*, *& naturam admirentur*, *continuo laborantem*, *nec nisi utilissimè quiescentem*. *Juvat omnes Ser. Reipublicæ toga sagoque inservientes*, *diligentissima assiduitate ejusdem gloriam tueri*: *Me quidem non è viliori Jovis luto confectum*, *patiaris*, *Illustrissime & Excellentissime D. tum tui tum Catonis exemplum imitari*, *& publicis privatisque exercitationibus*, *diurni nocturnique mei otii rationem reddere*. *Eam si probaveris*, *detestandam invidiam qua sæpè opprimor*, *facilè conteres*, *& si ultrò faveris*, *alacriorem me ad majora incitabis*, *& primam tam diu desideratam exedram brevi conciliabis*, *quam à Sapientia Veneta expectare non intermittam*, *Vale*.

Patavii, Idibus Novembris M. DC. LXXXVII.

*Illustrissimi &c.*



Plerisque Deorum mysteriis, ac præcipuè Cereris arcebantur qui initiati non erant, quòd tanta aut nondum caperent aut revelare potuissent. Hinc ante celebrationem, clamabat Præco, ἑκὰς ἐςε βέϐηλοι. *Procul este profani*. Idipsum docuit divinus noster Senex, in lege, *Sacra sacris hominibus communicanda, profanis verò nefas, priusquam scientiæ mysteriis initiati sint*. Τὰ ἱερὰ ἐόντα πράγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται· βεβήλοισι δὲ οὐ θέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ἀργιοίσιν ἐπιςήμης. Similem profectò cerimoniam requireret quod præ manibus est argumentum, ne quantumvis castum, ab impuris auribus detortum, minùs quàm decet pudicum esse videatur.

Vesaniam lugere magis quàm accusare primùm cuperem, nonnullorum ulterioris famæ avidorum, qui deficiente industria aut felicitate, ab Antiquis scripta & manifestè tradita, non erubescunt pro suis pronuntiare. Sic sæpè quæ per Medicorum ora volitant, Hippocratis aut aliorum Veterum dogmata, sibi asserunt, & tanquam sua insolenter jactitant. Quot videmus hoc sæculo novis inventionibus superbientes, quas pridem solis mutatis vocibus, Artis nostræ Principes declarasse orbis litteratus noverat? Sic lactis ex chylo generationem, fœtus per os nutritionem, circulationem sanguinis, lacteas venas, glandulas cerebri, Febrium causam non ex solo colore sed ab exuperante aut deficiente acido amaroque, vasa pinguifera, Scorbutum, Rachitidem, aliaque ad sanctam artem nostram pertinentia, sibi imperiosè arrogant, quæ ab uno Hippocrate, ut de cæteris classicis taceam, scriptis consignata fuere.

Ejusdem planè sortis est ille morbus, quem vulgus Medicorum novitate insignem deprædicat, Morbus ab omnibus exosus, & *detestabilis*, inquit Jo: de Vigo, monstrum hortendum, ingens, scortatorum miserabile flagellum, frontem partes obscœnas præcipuè ac deinde reliquas obsidens, totamque inficiens massam sanguineam, è qua cum nutrimento virus serpit & necessariò deportatur.

Tetrum hunc morbum multi, parum abest quin omnes à tribus sæculis Medicos comprehendam, novum suspicantur & docent à sævientibus ultrò ejus symptomatibus adducti, quibus salutares manus opponere nequibant. Ita morbos regionibus quibusdam familiares seu endemios alieni populi *novos* dixere, si unquam ad eos pervenerint, ac arborum in modum transplantati fuerint. In sola Arabia, Dracunculorum morbum extitisse scribunt Veteres, quem tamen in aliis locis apparuisse affirmant Jul. Pollux, Paulus Ægineta, & nostris temporibus doctissimus Geor: Hier: Velschius; Elephantiasis Ægypto erat vernacula, podagra Athenis, ophtalmia Achajæ, Leucophlegmatia Delo, quorum propagatio novitatem exstinxit: Novus habebatur apud Milesios ille furor, qui referente Plutarcho, *De claris mulieribus c.* 11. Virgines invaserat, nullo ipsum cohibente remedio. Fanaticam contagionem ab aere infusam putabant, ut insanæ mortem cupientes seipsas strangularent: Tanta erat mali calamitas ut neque Amicorum precibus neque parentum lacrymis coerceri po-

tuerit, furoris immanitate, omnem custodientium diligentiam eludente: Decretum tandem ut Virginum quæ sibi mortem consciffent cadavera per medium forum nuda efferentur; Quodquidem vulgarem illam insaniam compressit & terminavit: Tantùm ignominiæ metus valuit, ut quas humanorum malorum gravissima mors non averterat, ab instituto, turpitudinis species commoverit.

Etiam è contrariò, Endemii facti sunt qui primùm aut Epidemici aut Sporadici credebantur. Febrem Hungaricam multi populi pridem erant passi. Scorbutus Danis atque Suecis familiaris est, quo tamen interdum vexabantur Angli, Belgæ, Galli, ne Siculos Venetos cæterosque oræ maritimæ incolas commemorem. Plicam olim in quibusdam regionibus exstitisse dicunt, quæ nunc solos cruciat Polonos, apud quos seu hæreditaria seu endemia est.

Sed cominus ad affectum propositum accedamus. Qui Vairolam morbum nuncupant per *μετάθεσιν* pro variola à varo seu papula faciem turpiter maculante nomen desumunt quem *ἴονθον* Græci dicunt, indubitato confirmati morbi argumento: A variolis autem seu morbillis *ἐκθύμασι καὶ ἐξανθήμασι* puerili ut plurimum morbo, toto differt cœlo, quamvis Endemium esse utrumque morbum evincat, tum rei tum vocum similitudo. Quemadmodum enim variolæ frequenter palamque apud Europæos grassantur, ita Vairola Americanos corripit, nihilo protinus repugnante puellos Indos variolis fœdè contaminari, ut Vairola seu Lue Venerea, veteris orbis incolas. Non mei unius cogitatio est, primum illam exposuerat Manardus *de medicam. Indicis*, Rondeletius, *tract. proprio*. Fernandus de Oviedo, *in historia Indiæ*. Ferd. Cortesius, *in Indiarum relatione*. Jo: Langius *de morbo Gall.* Vallesius, *ad Hipp.* & hæbræus doctissimus Zac. Lusitanus, *hist.* 73.

Patursam nuncupant Hispani, Indico servato nomine, passionem scilicet turpem, corpus totum defœdantem. Syphilidem festivè nuncupat Fracastorius, quâ pastorem Syphilum affectum fuisse lepidè fingit; & primum laborasse.

*Syphilidemque ab eo labem dixere coloni.*

Deductum nomen est *ἀπὸ τῆς συὸς καὶ τῆς φιλίας*, à scortatorum amore veriùs libidine erga porcas, quas Latini lupas, unde lupanar, scortaque nominavere. Pudendagram ab affectis primùm pudendis, mentagramque à menti dolore & fœditate Plinius memoravit, quasquidem commentatores easdem ac Luem Veneream esse declaraverunt: Malum mortuum & fœdam scabiem eodem sensu describit Rosa Anglicana. Taccbimus religiosa nomina ad obsequium pietatis ægrotantium animos flectentia, à S. Mevio, Evagrio, Semento, aut Rocho desumpta, quòd nihil medicum doceant: quamvis langorum sanatorem Deum non minùs credamus quàm adoremus.

Plerique *morbum Gallicum* nuncupant, deflexâ ad honestissimam gentem ignominiâ, quam ab ejus armis victricibus patiebantur Neapolitani, dum Carolus VIII. regnum expugnavit. Hinc factum ut æquiori fato Neapolitanum morbum dicerent Galli, Neapoli acceptum & in omnes orbis partes inde diffusum ac *κόσμικον* ideo nuncupatum. Eò tamen rem redire necessum est, ulterioris incontinentiæ pœnas luisse omnes Europæ populos, post advectum ex America morbum

morbum horribilem. Sic autem sparsum ferunt: Qui apud Barbaros istos seu hæreditarius seu endemius est, & πάνδημος, Hispanorum cum Indis mulieribus contubernio, factus est Epidemicus: Hunc summo suo cum detrimento incauti foverunt Neapolitani, quorum vulgares fœminæ milites inquinarunt Gallos, à quibus circa finem sæculi XIV. pessima merx florentissimum regnum dehonestavit, & remotissimis deinde populis communicata est, amplissimo infectorum numero morbi malitiam & turpitudinem pessimis symptomatibus prodente ac declarante.

Quidni & *Gallicus* jure nuncuparetur? non secus ac Corn. Scipio Africani nomen assumpsit, Cæcil. Metellus Numidici, Mummius Achaici, Æmil. Paullus Macedonici, ut innumeros taceam, quibus victarum triumphatarumque gentium nomina gloriosè imposita sunt. Non inficerer fœtidum hunc morbum clarissimæ gentis ἐπιθέτῳ nobilitari, ad quam undique ut cervi ad fontem salutis accurrunt, quoquomodo infecti fuerint, nec unquam nisi absque recuperata integra valetudine feliciter revertuntur. Nomina tanta virtute parta obliteterari nuspiam debere proprio confirmavit exemplo illustris ille J. Cæsaris æmulus, qui neglecto gentilitio, Magnus quàm Pompejus appellari gloriabatur.

Accurrite porro populi, hujus gloriolæ tum participes tum cupidi: Audite ipsam Luem tanquam Numen, tetrum & si dirumque, sua Natalitia quasi ex tripode non tam declarantem quàm à vobis quærentem.

*India me novit, jucunda Neapolis ornat,*
*Bœtica concelebrat, Gallia mundus alit.*
*Vos Itali, Hispani, Galli, vos orbis alumni,*
*Deprecor ergo, mihi dicite quæ patria?*

Quoslibet induat morbus iste colores; quodlibet-ve nomen, novum esse nullus sibi persuadebit, qui eumdem ab Antiquis Medicis descriptum, & viros tum sanctitate tum potentia celebres infestantem noverit: Quæ duo paucis comprehendere animus est.

Divinum Senem qui primus medendi præcepta clarissimè condidit, non latuisse hunc morbum apertè demonstrant hæc ἐπιδ. verba l. 3. c. 25. *Quibus igitur circa caput horum quid fieri contigit, his glabrities totius corporis ac menti fiebat, & ossium denudationes, ac elapsus, & multæ fluxiones, & hæc in febribus & sine febribus. Erant autem hæc horrenda magis quàm mala.* Et paulo post: *Erat autem ex talibus omnium gravissimum, ubi circa pubem & pudenda accidisset.* Ἦν δὲ πάντων χαλεπώτατον τῶν τοιούτων, ὅτι περὶ ἥβην καὶ αἰδοῖα γίνοιατο. Subjungit l. de affectionibus. Λέπρη, κνησμὸς, ψῶρα, καὶ λ. ἐπὶ τά τοιαυτὰ αἶχος μᾶλλον ἢ νοσήματα *Lepra, prurigo, scabies, potius sunt fœditates quàm morbi*; Ex quo facile colligitur Luem Veneream hisce vocabulis designari.

Elegantissimus rei medicæ scriptor Corn. Celsus, Tiberii temporibus, ignotum pœne in Italia, frequentissimum tamen in quibusdam regionibus morbum descripsit, quem à Græcis ἐλεφαντίασιν nuncupat; cumque longum, Luis Venereæ symptomatibus adeo stipatum, ut aqua aquæ non sit similior.

Plinius, nat. hist. l. 26. c. 1. *Elephantiasin ante Pompeii M. ætatem*

11

*tem non accidisse*, docet, *ipsam à facie sæpius incipientem, in nare prima veluti lenticula, mox invalescente per totum corpus, macelosa, variis coloribus & inæquali cute, alibi crassa, alibi tenui, dura seu scabie aspera, ad postremum verò nigrescente, & ad ossa carnes apprimente, intumescentibus digitis in pedibus manibusque. Aegypti peculiare hoc vitium, & cùm in Reges incidisset, populis funebre: quippe in balneis solia temperabantur humano sanguine ad medicinam eam*: Fecerunt hæc ut exclamaverit, *Sensit & facies hominum novos, omnique ævo priore incognitos, non Italiæ modo, verùm etiam universæ prope Europæ morbos. Tunc quoque nec tota Italia, nec per Illyricum Galliasve aut Hispanias magnopere vagatos, aut alibi quàm Romæ, circaque, sine dolore quidem illos, ac sine pernicie vitæ, sed tanta fœditate, ut quæcunque mors præferenda esset*. *Lichenas* atque *mentagram* appellavit, *Luemque contagiosam*, quam servatis symptomatibus *veneream* vulgò nuncupamus. *Nascitur*, scribit ille, *in occultissimis corporum partibus &c.* Ad quem, quaso, morbum has Plinii voces referre poterunt, qui Luem Veneream Antiquis incognitam fuisse contendunt? Illi profectò alter novus substituendus, sic error errori æternùm successurus est.

Dum Galenus Hippocratem interpretatus est, ad l. 3. ἐπιδ. adeo Luem Veneream descripsit, ut solum ejus nomen deesse videatur. *Horum putredo cujus est commune munus ut illas partes in quas impinguat, corrumpat*, ecce fermentum seu contagium venereum, *terribiliorem in capitis partibus speciem præbuit*, &c. Deinde, *nam à femore vel brachio vel tibia vel cubito, si cutis recesserit, minorem præbet morbi speciem: At si capitis unà cum cute crines defluxerint, atque adeo menti cum illis &c. periculum verò minus quàm si is affectus pudenda teneat, aut guttur* &c.

Quid sunt præterea capitis ulcera cacoethica, dolosa, inveterata, diuturna, depascentia, difficilia ad curandum, imò pro insanabilibus derelicta, ab eodem Galeno toties *in Epid.* descripta? Quid futura capitis excavata, *l.* 2. *de morb.* ossium caries ex corruptione, cerebrum ipsum corrosum? Quid censebimus de turpibus carcinomatis ab ipso curatis, *l.* 7. ἐπιδ. 98. malignissimis oris ulceribus, *l.* 3. *comm.* 25. aliisque teterrimæ Luis symptomatibus? Ut hunc morbum asserat, sequenti commentatio, *omnium gravissimum, dum pubem & pudenda obsidet*.

Avicenna Princeps Arabum, *l.* 2. *tract.* 2. *cap.* 531. & 532. pustulas grossas, scabiem, ulcera sicca humidaque, impetiginem, dolores nervorum, gingivas sanguineas, dentes corrosos, aliaque Luis Venereæ symptomata profert, quibus & oleis medetur. *Argentum vivum*, inquit cap. 47. *extinctum valet scabiei cum oleo rosaceo, & ulceribus malis*: En ni fallor, apud Avicennam & morbus & remedium. Illum iterum audiamus: c. 284. *Karon est lignum Indum, juncturis maximè conveniens*, quòd ebeno, duritie, colore & substantia simile, ab Hispanis *Guajacum*, ab aliis *lignum sanctum* appellatur, præcipuum syphilidis alexipharmacum.

Arabes profectò sub Asaphati nomine Luem hanc Veneream intelligebant, ut interdum Græci sub achoribus, & recentiores sub scabie aut lepra. Quo loci, non ignobile testimonium erit mille Xenodochiorum in Gallia numerus, leprosis dicatorum, quamvis in amplissimo regno; nullus planè lepra Græcorum Arabumve correptus langueat.

Quid

Quid ergo, quales erant isti leprosi? Lue Venerea affecti pro leprosis audiebant, insanabilibus tunc temporis ægrotantibus. At cùm Medicorum industria, Gallorum præsertim, horrendum morbum ita expugnaverit, ut post XL. dies nil ejus sit reliqui, egregiam sibi laudem comparavit, Rex Christianissimus LUDOVICUS MAGNUS, cùm tantas divitias à piis hominibus in usum Leprosorum donatas ad nobilium militum alimenta solatiumque seposuit, qui pro Regis ac patriæ gloria sanguinem profunderent, & Equites D. Lazari nuncupari mererentur.

Placet hic saltem aliquos commemorare qui ante tria sæcula Syphilidem descripserunt sanaveruntque. Campegius *l. 2. prax.* Gul. Salicetus, Gordonius, Valescus de Tarenta, Nic. Machellus Mutinensis, *in comm. Galeni de morb.* Jo. de Vigo, *l. 1. c. 1.* Hugoque Senensis, qui consiliis 55. 66. & 100. Luis venereæ naturam non obscurè adumbravit, ut pustulæ crustosæ, tumores duri, ulcera capitis, diversorum membrorum dolores, noctu magis quàm interdiu affligentes, alteri morbo applicari nequeant: Is porrò objerat antequam orbi nostro cognitam esse Syphilidem Novatores finxerint. Id etiam Jacobo Forliviensi convenit, docenti *Lichenes esse defœdationes cutis cum excoratione, procedentes à phlegmate salso*; quibus Luem Veneream intelligebat.

Scribit Aloysius Lobera Medicus Cæsareus, ad Dioscoridem, *cap. de Sabina & de Junipero*, has plantas virtutem continere ligni Indici, plagas ulceraque maligna curare; hinc illi cognitam Luem Veneream.

Leonardus Schmai Medicus Salisburgensis audacte pronunciavit c. 1. *Dico præterea hunc morbum durâsse semper*, scilicet nullo modo novum fuisse. Cujus quidem autoritatem nolim ut classicam proponere, sed ne primus videar hoc paradoxum instituisse.

Potuissem Medicorum myriades adducere quorum opinione partes nostræ egregiè fulcirentur. Verùm urgentibus me temporis angustiis, castra derelinquam medica, & ad unum confugiam, Aur. Prudentium Clementem, Consulem Romanum, primumque Poetam Christianum, Theodosii temporibus scribentem, quarto post Christum sæculo, in hymno 2. περὶ στεφανῶν, passionem S. Laurentii describente, versu 247.

*Istum libido fœtida*
*Per scorta tractum publica*
*Luto & cloacis inquinat*
*Dum spurca mendicat stupra.*

Nullum hîc opinor carmen esse quod Luem Veneream non sapiat, *libido fœtida*, *scorta publica*, *luto & cloacis inquinatum* seu ulceribus purulentum, *dum spurca mendicat stupra*. Plura dicere nefas, ulteriorem commentarium vetante pudore. Indignentur quantùm velint fremantque Novatores, tanta est hujus viri autoritas, ut sub ejus solius umbra tranquillus possim quiescere.

Scriptorum legiones, mihi credatis, Auditores, sunt amplissimæ, qui hujus morbi mentionem fecerant; Quid *dysuria à turpiori intemperantia?* quam Cicero commemorat, l. 7. ep. 26. quid *morbus Campanus* apud Horatium? manifesta est apud Poetas Catullum, Martialem, & Juvenalem: Arbiter elegantiarum Petronius, Apulejusque eam-
dem

12

dem deſcripſerunt, olimque Xenophon, Herodotus, innumerique alii quos numerare labor.

Alterum exercitationis noſtræ membrum perſtringamus, & celebres aliquot priſcos viros Lue Venerea affectos fuiſſe demonſtremus. Auguſtum primùm memorabimus fortunatum hunc hominem cui fata orbis imperium univerſamque pacem decreverant, *Auguſtum* inquam *maculoſo fuiſſe corpore* ſcribit Suetonius, c.81. *diſperſis per pectus atque alvum genitivis notis, diſtillationibus jocinore vitiato laboraſſe, & ad deſperationem redactum. Contrariam & ancipitem rationem medendi neceſſariò ſubiiſſe, quia calida fomenta non proderant frigidis curari coactum, autore Ant. Muſa. Anniverſarias ac tempore certo recurrentes valetudines expertum, quare quaſſato corpore neque frigora neque æſtus facile tolerabat.* Nonne Medico facile eſt hæc ſymptoma Lui Venereæ adſcribere περιοδικὴν ſeu περιοδίζουσαν κατὰ τινὰς καιροὺς νόσον morbum, Prothei inſtar, colores ſuos mutantem, & his quàm illis anni temporibus magis affligentem. Quid præterea de remediis plane tunc temporis novis, celeberrimi Medici conſilio adhibitis? Fomenta omnis generis probavit, ipſum ψαμμισμόν, ut vocant Ærius & P. Ægineta, l. 3. c. 48. & ἀμμοχωσίαν, corporis volutationem in arena calida; cujus quidem meminit Severus Sammonicus *c. de hydrope*,

*Nec non & tepidis convolvas corpus harenis.*

Hoc eodem remedii genere utentes audio Moſchos Tartaroſque, ſi quando ob epotum nimia copia aduſtum vinum, quam *aquam vitæ* noſtri nuncupant, æſtuant præcordia, amplo enim foramini arenoſo in littore maris aut fluvii facto, ſua immittunt corpora, ſudorem eliciunt, & ebrietatem graviaque ſymptomata diſcutiunt.

Et Salomonem ſapientiſſimum Hæbreorum Regem, Lue Venerea correptum aſſerunt multi Sacrarum Litterarum interpretes, inter quos Pineda, Soc. Jeſu, & Bolduccius Capucinorum doctiſſimus, quos firmiſſimis rationibus fulcit Rodericus à Caſtro. Septemgenteſimus fœminarum quibus utebatur numerus, conjecturam auget medicam, à quo lues contingit contagioſa: Hujus enim cauſa cùm ſit ſcortatio vaga promiſcua & turpis, & hæc ab omni ævo ſalaciter fuerit uſurpata, ſic luem quaſi æviternam aſſerere neceſſum eſt.

Ad alterum virum ſanctiſſimum deveniamus, de quo ita ſacræ paginæ c. 2. t. 8. *Satan percuſſit Job ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem ejus, qui teſta ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio*: Et c. 30. t. 17. *Nocte os meum perforatur doloribus, & qui me comedunt non dormiunt.* Quis alteram Luem quàm Veneream intelligeret, à Dæmone miſſam & omnium ſceleſtiſſimam (non tamen in concubitu Venereo, ab ipſo acquiſitam?) *cui ſanandæ*, inquit Origenes *ſuperflua erat omnis Medicorum peritia atque ſapientia.* Liberiùs certè ſcripſit Ulrichus de Utten Eques Germanus, *a Jobbi ſcabie originem ejus repetunt, quem credo in Divos retulerit hæc Lues.*

Sed manum de tabula. Infamis illius morbi frequentiſſimique cauſas, ſigna, remediaque, ſuo tempore declarabimus, & primo die morbos particulares juxta Sereniſs. Principis mentem, Deo dante, aggrediemur.

# D I X I.